

nifacius, ex moribus ejus aevi & nunc Hasforum eum appellamus Apostolum, etiamsi procul omni dubio jam alii mysteria Christianae Religionis Majoribus nostris enarrassent.

§. II.

Cum igitur hic gentis nostrae Apostolus ad Hasfos plane convertendos animum adpulisset, ex Frisia in Patriam nostram proficiscitur, & quidem *Hamanaburgum* seu *Amanaburgum*, vicinum nunc oppidum, sua praesentia primum exornat, testibus Willibaldo c. 6. & Othlono lib. 1. c. 12. in *Vitis S. Bonifacii*. Sunt quidem permulti, qui vel hunc locum Hasfiae prorsus abjudicant, & unum eundemque cum Hamelburgo Franciae Orientalis esse existimant, vel etiam in Homburgo non ignobili ad Efzam Urbe ejus vestigia & rudera quaerunt, sed omnes a veritatis tramite quam longissime aberrant. Si enim Vitam S. Bonifacii ab Othlono conscriptam cum Vita S. Sturmii primi Abbatis Fuldensis data opera comparemus, certissime constabit Hamanaburgum seu Amanaburgum illud nullum aliud esse oppidum, quam quod hodie *Amoeneburgum* vocamus.

§. III.

Ne vero haec nos fingere, vel in gratiam patriae comminisci quisquam putet, rem ab ovo, ea, qua fieri potest, brevitate repetemus. Cum Bonifacius Sturmium varia rerum divinarum cognitione in monasterio Fritislariensi imbuisset, Presbyterumque consecrasset, hunc suum discipulum cum sociis nonnullis mittit in Buchoniam vicinam ad quaerendum locum novo seminario Religionis Christianae peropportunum. Diu quidem in vasta hac solitudine commoratur, & omnia minima maxima perlustrat, verum nullum locum huic negotio commodum invenit. Quapropter Bonifacius in vicina Hasfia *Selenheimi* degens Sturmium per nuntium ad se vocat, ut coram eo conferret, quid im-

poste-